PANEGYRICUS
dictus
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI
FRIDERICO III
MARCHIONI BRANDENBURGENSI, SACRI ROM: IMP: ARCHICAMERARIO
ET ELECTORI,
DUCI BORUSSIÆ, MAGDEBURGI, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ
&c: &c: &c:
PIO, FORTI, FELICI,
IN
ACROATERIO MAJORE
LYCEI TRAJECTINI
die IV Junii Anno MDCXC
à
CHRISTIANO ALBERTO de MEINDERS
Nobili Marchico.


TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ Typographi
cIↄ Iↄc xc.


KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK



ILLUSTRES ET PRÆPOTENTES POPULI TRAJECTINI ORDINES, ELECTI, EQUITES, MAGISTRATUS. GENEROSISSIME PRÆTOR. NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI CONSULES ET SENATORES, ACADEMIÆ CURATORES. GRAVISSIMI CURIÆ PROVINCIALIS SENATORES. MAGNIFICE RECTOR. CLARISSIMI PROFESSORES. CASTISSIMI VERBI DIVINI PRÆCONES. DOCTORES OMNIUM FACULTATUM ERUDITISSIMI. HOSPITES, CIVES, INCOLÆ, OMNIUM OR-

DINUM, GRADUUM, ÆTATUM, HONORATISSIMI. TÙQUE LECTISSIMA JUVENTUTIS CORONA.


I oculos noſtros rejicimus in tempora illa, quibus graviſſimum belli incendium , quo nunc omnes terrarum partes flagrant, arcano fatorum decreto exarſit, ſique rite perpendimus , quæ poſtea pro afflictiſſimæ patriæ ſalute , proque ſociorum incolumitate præclare proſpereque ab iis geſta ſunt, qui ſumma animorum conſenſione, mirificaque concordia arma contra communem hoſtem ceperunt : non poſſunt non tam læta , tamque optata rerum commutatione omnium bonorum animi incredibili quadam lætitia perfundi, Deoque, qui ſapientiſſimo nutu res mortalium moderatur, cujuſque ſummo ac ſingulari prorſus beneficio, ex gravi quodam metu recreati ſumus, gratias agere immortales. Jam enim hoſtis, humanæ conditionis immemor , improba ſpe orbis terrarum dominium devorave-

raverat, ſuperbiæque iſti, qualem nulla ætas antea vidit, novum quoddam ac prorſus ſtupendum crudelitatis genus adjecerat. Conſtituerat quippe, quod vix credet poſteritas, quodque non abſque ſummo horrore refero, domus noſtras, communia hominum refugia, delere; templa, in quibus ſummum illud æternumque numen precibus & laudibus proſequimur, exſcindere; pro vero ac caſtiſſimo Dei cultu, fictum falſumque inducere; Germaniam, tot Principum matrem, tot heroum patriam, cæde ac incendio vaſtare; fortunatiſſimum hoc & pulcherrimum Belgium, ocellum mundi, evertere; denique, quod nec ſempiternus Chriſtiani nominis hoſtis, Thracicus Imperator, unquam videtur optaſſe, in cinere perditarum gentium ac veſtigiis deflagrati orbis imperium collocare. Debebamus noſtris malis, quod luctuoſus rerum eventus, infenſaque nobis fortuna per aliquod tempus, & antequam a noſtris ad arma ventum, Gallorum conatibus reſponderet. Quis enim eſt noſtrum, qui ignoret, quique non cum ſummo dolore cogitet, quouſque hoſtium immanitas proceſſerit? qua plus quam barbara diritate iſti, regiones, quarum ubertate & pulchri-

tudine omnes gentes capiebantur, vastaverint? ut, ubi olim urbes, castella, vici conspiciebantur, nunc tristissima pristinæ felicitatis monumenta, urbium excisarum cadavera, vastissimæque solitudines extent. Eandem illi pestem illustrissimæ huic Reip. minabantur, & fortassis nobilissima hæc provincia, pulcherrima & amœnissima hæc urbs, sanctissimum denique hoc ipsum honestissimarum disciplinarum, artiumque domicilium, nefarii hujus belli flamma corruissent, si res ex hostium votis cecidisset. Verum, uti mortalium conditio suas habet vices, ita post plurima acerbissima patriæ fata, gravissimamque tempestatem, qua multùm quassatæ fuerunt beatissimæ quæque Europæ regiones, Deus pro singulari suo in nos amore, aliquid lucis ostendit, nosque, summoto paullo longius a cervicibus nostris horribilis hujus belli periculo, de felici ejus exitu, ac de patriæ salute optimam spem concipere jubet. Idem enim hostis, qui toti terrarum orbi bellum indixerat, quique secundo rerum successu inflatus, magnitudinem fortunæ non capiebat, nunc non tam de finibus imperii proferendis, quam de bello tantum a suis limitibus propellendo ac propulsando sollicitus

citus eſt, ac ne illa, quam in omnes machinabatur, peſtis, juſtiſſimo Dei judicio in ſe aliquando conferatur, pertimeſcit. In hac autem Europæ ſcena bellica primas fere partes egit Sereniſſimus & Potentiſſimus Imperii Romani Octovir Brandeburgicus *Fridericus* III. Quanta enim alacritate bellum hoc ſuſceperit, quanta virtute illud geſſerit, quantaque felicitate hoſtes plus vice ſimplici ſuperaverit, loquuntur omnes, qui ſuperioris anni caſus & varietates norunt, quique non ablati cupiditate aut nimio ſtudio partium occæcati, verum vident aut dicunt. Ille ad hoc bellum adminiſtrandum divino quodam conſilio oblatus, ille quaſi de cœlo in ſalutis noſtræ præſidium demiſſus videtur, ille ad bene ſperandum de afflictis ſociorum rebus, de miſerorum fortunis, de ſervanda patriæ libertate, in iſta temporum calamitate, rerumque pene omnium deſperatione, primus quaſi ſignum aliquod ſuſtulit. Tu nobis, *Sereniſſime Princeps*, Tuis periculis ſecuritatem, Tuis laboribus quietem, Tuo conſilio ſalutem peperiſti. Tu urbes munitiſſimas, quas hoſtes dolo & artibus ceperant, virtute recuperaſti, illoſque e plurimis locis, quæ tenebant, ejeciſti. Tu hoſtes,

qui fortunis gentium, qui libertati, qui vitæ, quibus nihil dulcius homini a natura datum, inhiabant, incredibili quadam felicitate cohibuisti, Tu furorem Gallorum, crudelissimis consiliis concitatum, a pernicie populorum tuorum avertisti, illorumque vitam, bona, liberos, uxores ex flamma, ex ferro, ac pene ex funesti, quod illis impendebat fati faucibus, eripuisti, Tu denique iniquissimi hujus ac teterrimi belli periculum a sociorum tuorum terris ac finibus depulisti. O felices populos! qui talem nacti sunt principem, qui ipsos, rebus adversis dejectos, sublevare, quique non solum instar indulgentissimi Parentis ipsos regere, sed & omnia & fortunæ & bellorum tela ab illorum cervicibus avertere, inter primas vitæ curas ducit. Felices socios! quibus obtigit socius, qui ipsorum salutem omni ratione tueri & potest & desiderat. Felicem Germaniam! quæ gaudet Principe, qui pro illius dignitate, nullos labores, nulla pericula subire refugit, quique pro ipsius salute spiritum ipsum ac vitam profundere dulce ducit ac decorum. Maximo ac gravissimo luctu obruebantur omnes, cum *Fridericus Wilhelmus Magnus* ex hac vitæ statione, qua ad extremum vitæ tempus cum

omnium gentium admiratione functus erat, a ſuperis evocaretur. Dolebant exteri, qui aut naſcendi ſorte in illuſtri loco poſiti ſunt, aut virtutem in aliis mirantur, extingui illud Imperii lumen, illum Principem, in quo nihil niſi altum, niſi ſublime, aut excelſum erat, quique ſummorum Principum gloriam fortuna & potentia æquabat, plurimos quoque virtute, ſapientia, conſilio, meritis, omnibus denique pacis bellique artibus ſuperabat. Querebantur cives, ereptum ſibi Patrem patriæ, qui, ut ipſi beati ac felices eſſent, ſemper allaboraſſet, cui infinita felicitatis ornamenta deberent, quique afflictis & proſtratis patriæ rebus, omnia pericula a ſe avertiſſet. Vulnus, quod hæc clades illis infligebat, nullo tempore ſanari poſſe videbatur, neque dolor, quem ex tam gravi jactura capiebant, leniri potuiſſet, niſi divina providentia, quæ *Fridericum Wilhelmum* rebus humanis eripuerat, *Fridericum* III, veram tanti patris imaginem, ab ineunte ætate, ex plurimis periculis, in ſpem ſolatiumque omnium ſervaſſet, eumque in glorioſiſſimo iſto ac celſiſſimo majorum ſuorum ſolio collocaſſet. Itaque inter ipſas lacrymas, quas in funere maximi Parentis ſubjectæ ſceptro Branden-

C burgi-

burgico gentes profundebant, gratissima quædam ac perquam copiosa lætitiæ seges efflorescebat, cum viderent, non minorem filium imperii gubernacula suscipere. Animadverterant quippe in *Friderico* III, in tenera jam ætate, quæ nullis simulationum involucris aut velis obtenditur, indolem quandam, quæ ad omne virtutis decus veramque gloriam, sua sponte ac inductione quadam animi ferebatur. Sciebant, illum a viris, quorum virtus ac sapientia in totius terrarum orbis conspectu posita est, non minore cura quam felicitate iis artibus ac disciplinis eruditum esse, quibus Principes ad maximum fortunæ cultum, atque ad tot gentium gubernationem nati, erudiri solent. Accedebat, quod pulcherrimum in Principibus decus est, mirifica in Deum religio, magna in omni vita lenitas ac clementia, incredibile omnibus bene faciendi studium, singularis animi magnitudo, summa in rebus prosperis & adversis aut moderatio aut constantia, divina tandem prudentia. Quæ tum in omni vitæ cursu, tum vero tunc maxime eluxit, cum in consilium Magni Parentis adhibitus, virisque sapientissimis assidens, de rebus maxime arduis, deque negotiis gravissimis eas ferret sententias, quas

ferre

ferre ſolent, quorum prudentia velut lumen aliquod eluceſcit, quique uſu & exercitatione rerum quam maxime valent. Tantum abeſt, *Princeps Optime*, ut paſſus fueris cives tuos cadere ſumma iſta ac pulcherrima ſpe, quam de Te conceperant, ut eam longiſſime ſuperaveris, dum omnes, qualem Te olim futurum ſperaverant, nunc talem eſſe, cognoſcunt, & ubique prædicant: ac quarum virtutum olim in Te quaſi herbeſcentem viriditatem viderant, earum maturitatem, lætitia pleni, in Te nunc admirantur. Quanta Tu animi moderatione imperii clavum, quem a Deo Tibi traditum ſciebas, quemque cum multis moleſtiis, curis, ac periculis conjunctum noveras, ſuſcepiſti! quanta cura Tu illum ſuſceptum poſtea tractaſti! Cum enim judicares, Te non ſolum Tibi, ſed & patriæ, populiſque Tibi traditis natum eſſe, nihil humanarum rerum Tibi prius agendum putaſti, quam ut imperium, quod cum omnium applauſu adieras, tanquam pater patriæ adminiſtrares, utque illi, qui poteſtati Tuæ a Deo commiſſi ſunt, quam beatiſſime viverent. Vix adſcenderas ſummum illud faſtigium, cum ipſe omnia, quæ ad Rempublicam bene gubernandam ne-

ceſſaria videbantur, circumſpiceres, ordinares, ac obires, omniaque, quantum humana ratione provideri poterat, prudentiſſime conſtitueres. In quo tanta, tamque excellens Tua fuit induſtria, ut, cum cives Tui in utramque quaſi aurem ſecuri dormirent, Tu pro ipſorum ſecuritate & commodis vigilares, ſemperque, poſthabita valetudinis tuæ ratione, æſtivo tempore, ſummo mane, vel ante ſolis ortum, ad negotia curamque imperii provolares, quaſi ferre non poſſes, ut pulcherrima hæc cœli lux in recreandis ac fovendis mortalibus, Tuam anteverteret induſtriam. Omnes etiam admirabantur ſapientiam Tuam, qua legiſti viros, quos adhibes in tot populorum, Tibi parentium, ſalute procuranda, quorum fides, prudentia, virtus, vel in Tuis, vel in Parentis Tui negotiis Tibi jam erat ſpectata, quibuſque Tuis, communiſque patriæ commodis, dignitate, ſalute, nihil antiquius eſſe, habebas exploratiſſimum. Num quis unquam Princeps plus curæ & ſtudii, num majores ſumtus impendit ad arcendam foris omnem vim, ac ad propulſandum omnem hoſtilem impetum? Providiſti *Friderice*, ut & ducum & militum lectiſſimorum copia Tibi eſſet præſto, quorum opera & virtute utere-

utereris, non tantum in tutelam Tuorum finium, ſed & ad ſuppetias ferendas vicinis gentibus. Fœdera olim cum aliis inita renovabantur, & nova percutiebantur. Ne patriæ vires digladiationibus attererentur, & cives ei utiles, vana perſuaſione virtutis ad dignitatem quaſi ſuam aſſerendam, ſingularibus certaminibus conſumerentur, neve de patrimoniis & bonis ſuis ſolliciti eſſent multi: latæ leges ſaluberrimæ, quarum aliæ ad quietem publicam ſtabiliendam, ac hominum in mutuas cædes ruentium licentiam coercendam, ſpectabant, aliæ vero illos bene de fortunis ac bonis ſuis ſperare jubebant, qui ea, quæ juris fiduciarii leges requirunt, neglexerant. Bono cuique, *Friderice*, ſuus honos, ſua dignitas, ſuum munus, quod a Parente Tuo conſecutus fuerat, conſtabat, ut Tibi, ſecundo fortunarum ſuarum fundatori, non minus quam primo illi auctori, debere ſe fateantur & grati agnoſcant. Qua divina benignitate animos omnium ita Tibi devinxiſti, ut, cum omnes omnia vitæ commoda atque ornamenta Tibi accepta referant, nemo ſit, qui vita ac ſanguine ſalutem tuam redimere, ſi occaſio tulerit, recuſaturus ſit. Denique in id unice incumbebas, id agebas

gebas, ut conſuleres omnibus, medereris hominum incommodis, provideres ſaluti, ut parens tuorum & dici & haberi poſſes. Hæc prima Tua fuit cura, hoc unicum Tuum ſtudium, a quo nullæ moleſtiæ, nulla pericula, nullus ſomnus, nullæ denique res, ſive jucundæ illæ eſſent, ſive aſperæ, cœleſtem Tuum animum avocabant. Viget, vigebitque per omnium ſeculorum memoriam memorabilis iſta ac eximia pietas, qua Divum Tuum parentem ſemper coluiſti, cujus Tu, cum poſt ejus obitum nullum, ut ante hac, documentum edere poſſes, quod ſolum poteras, edidiſti, Ipſumque ſplendidiſſimo & honeſtiſſimo funere, quale tanto faſtigio conveniebat, extuliſti. Magnis laudibus celebratur Rex Macedonum Alexander, qui, cum parens Philippus exceſſiſſet ex vita, primam curam paternarum exequiarum habuit, ſed ejus Tu & pietatem, & in curando funere apparatum longe ſuperaſti. Namque & ſummo cum luctu, quo quam maxime filii parentum memoriam honeſtant, in funus prodibas, & cum incredibili magnificentia & regio ſumtu ejus corpus in majorum Tuorum monumentum inferebas, comitante maxima exerci-

tus

tus parte, ingentique hominum omnis ordinis ac dignitatis multitudine, quæ ex omnibus regionibus Tibi ſubjectis, juſſu Tuo ad decorandas Patris Tui exequias confluxerat. Videbatur quidem, *Friderice*, cum, parente condito, Imperii clavo manum admoveres, alta pax & ſumma tranquillitas eſſe, de qua & *Fridericus Wilhelmus*, qui inter perpetuas bellorum tempeſtates vitam tranſegerat, ante obitum ſibi gratulatus fuerat, neque, quod mirandum, antequam ipſius corpus humatum eſſet, bellorum ſtrepitus audiebatur, quaſi ipſa arma religioni duxerint, funeri Principis, qui in omni bellorum genere & maximus & invictus fuerat, obſtrepere. Verum inciderunt imperii tui auſpicia in tempora tumultuoſiſſima, plena turbarum & inſidiarum, ſecretiſque conſiliis ea tum miſcebantur, quæ paulo poſt eruperunt, ita, ut nonnullæ ex Tuis legionibus a patrio funere in bellum, atque ad ſperatum victoriæ decus proficiſcerentur. Galli namque, qui diu terrarum orbis libertati inſidiati fuerant, cum omnes ſpecioſo nomine, & umbra induciarum, quas ante paucos annos ipſi pacti erant, fallerent, ac ſi nulli quicquam hoſtile metuendum eſſet, nullo bello provoca-

ti, nullis injuriis lacessiti, spreta, quam dederant, fide, posthabitis divini humanique juris præceptis, ruptis sanctissimis naturæ ac gentium legibus, quasi ex insidiis, iniquissimum prorsus ac impium bellum Germaniæ movebant, eodemque tempore, quo illud declarabant, infesta simul signa in ipsa Imperii Germanici, Turcico bello districti, viscera transferebant. Omnem tractum Rheni, Spiram, totumque Palatinatum ac agrum Coloniensem, subito nec opino supervenientes, occupaverant vel oppresserant. Udenhemium, quod ab omnibus ad hostium vim arcendam necessariis nudatum erat, arctissima obsidione claudebatur, &, quod necesse erat, capiebatur. Moguntia a Gallis tenebatur. Ripa Rheni consita erat castellis, quæ Galli contra pacem Monasteriensem tanta cura, tot annorum labore, tantaque contentione totius Europæ sancitam, in spem impiæ dominationis, quam moliebantur, extruxerant. Imperator gravissimo bello in Pannonia contra perpetuum Christianorum hostem distinebatur. In Germania aliorum voluntates dubiæ erant, aliorum obscuræ. Regis Hispaniarum res non ferebant, ut Germaniæ subveniret. Anglia Gallis fœdere

juncta

juncta erat. Septentrionis Reges veteres ſimultates mutuuſque metus retinebat, ne ad fœderatorum populorum injurias vindicandas expedirent arma. Belgarum ſtudium in liberanda Britannia verſabatur, & in bello ſuis finibus arcendo, ita, ut & tempus, & ipſa rerum facies per totam Europam, Gallorum conſiliis, quæ ad illam perdomandam agitabant, favere viderentur. In hac temporum atrocitate, rerumque omnium perturbatione, ubi Germaniæ libertas, Principum dignitas, Belgii incolumitas, omnium vita, ſanguis, religioque ipſa in diſcrimen vocabatur; *Sereniſſimus Octovir*, divino conſilio, magnoque & excelſo animo facile proſpiciebat, ſi illo tempore dormiretur, crudelem ſuperbamque dominationem eſſe ſubeundam, & ignominioſam prorſus ſervitutem ſerviendam omnibus. Itaque omni cogitatione ad Germaniam liberandam, ad patriæ decus tuendum, ſocioſque defendendos ferebatur. In hoc omnes curas locabat, nullumque neque diurnum neque nocturnum tempus amittebat ea providendi & parandi, quæ temporum neceſſitas flagitabat. Inſtruebatur omni ratione bellum, habebantur delectus, augebantur veteres legiones

novis ſupplementis, illa ipſa exercitus pars, quæ, in Boruſſiæ tutelam, in illa poſita erat, ad reſtinguendam aſperrimi belli flammam, jam late ad Rhenum omnia depaſcentem, advolare jubebatur, licet ejus opem florentiſſimæ regionis ſecuritas maxime deſiderare videretur. Conveniebat *Sapientiſſimus Octovir* ipſemet nonnullos Germaniæ Principes, non ſatis præſidii in literis & nunciis, quod plerique omnes faciunt, eſſe poſitum exiſtimans, ipſoſque, ut difficillimis iſtis temporibus, dextras promte porrigerent, & mutuis fœderibus patriæ ſalutem fulcirent, ſuo conſilio, ſuoque exemplo inflammabat. O egregiam *Friderici* erga Germaniam voluntatem! O verum patriæ patrem! Mirificus ille in patriam animus, ardentiſſimumque juvandæ Germaniæ deſiderium, nonne pulcherrimis iſtis cœli ſideribus eſt ſimile, quæ nocturno tempore, cum omnia tenebris involvuntur, mortales, ipſa caligine trepidos, luce ſua recreant, ut quaſi pro ipſorum ſalute videantur excubare? Non enim ſatis habuit *Princeps Optimus*, Coloniam Ubiorum, miſſis illico auxiliis, quod & magnus ejus Parens anno ſuperiore fecerat, ab injuſtiſſimo ſervitutis atque expugnationis periculo defendere, ſed & Francofurto,

cofurto, antiquissimæ Imperii civitati, ubi tot diademata Cæsaribus imposita, in maximo, quo septa erat, discrimine, suppetias tulit; quoque & promtius & melius illi succurreretur, ipsas cohortes prætorias misit, ut quasi altera manu superiorem Rheni partem, altera inferiorem tueretur. Quod Geldria, urbs & natura loci & manu munitissima, cum circumjacente agro, finitimisque gentibus, vi ac incursionibus hostium liberata sit, debetur *Friderico* III; qui, quod Hispani petebant, validissimum illi præsidium imposuit, quod suo sumtu aluit. Quid vero dicam de incredibili isto amore, quo *Princeps Maximus* illustrissimam hanc Remp: tanquam carissimam sororem, semper complexus est, qui, uti olim cum Arausionensium sanguine in ipso utero materno ipsi infusus erat, ita postea semper cum ætate crevit, magisque indies exarsit. Illum qui certioribus poterat argumentis declarare, quam cum amicissimæ Reip. aliquot hominum millia ex optimis & vetustissimis legionibus selecta, mitteret? hanc unam ob causam, ut bellum, quod Galli jam dudum illi decrerant inferre, quodque jam illius jugulo impendebat, arceretur, utque divinum istud consilium, quod *Guilielmus*

III. fulmen belli, & ætatis noſtræ miraculum, de aſſerenda Britannia ceperat, felicius ſuccederet, uti feliciſſime ſucceſſiſſe, non longe poſt, Orbis terrarum, ſummo cum ſtupore & applauſu vidit. Singularis autem herois hujus pietas, ſummumque ſtabiliendæ purioris religionis ſtudium, quam gratum, quamque acceptum fuerit immortali Numini, ex hoc eluxit, quod illum cum ſanctiſſima Conjuge, mirifica conſenſione Britanniæ, quam ſine cæde & ſanguine liberaverat, poſtea in illud ſolium evexerit, quo nemo dignior erat, & ad quod occupandum, ipſa Dei manu ductus videbatur. Mirabantur omnes, qui aut prudentia atque uſu rerum exercitationeque aliis præſtabant, aut rei militaris ſcientia florebant, Gallos fatalem ſibi *Guilielmi* III diſceſſum in Britannos non impedire conatos fuiſſe, atque ita egregiam iſtam occaſionem, in beatiſſimas Belgii provincias, quibus ſemper inhiaverant, irruendi, totamque Britanniam ſibi ſervandi, prætermiſiſſe: Verum illi, quaſi juſtiſſimum numen ipſorum oculorum aciem hebetaſſet, in ſua fata ruebant, ac, neglecta prope explorata facultate terras has occupandi aut infeſtandi, ne poſſent aliena reſpicere, contra datam fidem, ac præter omnium expe-

ctatio-

ctationem Germaniam invadebant: certissimo documento, bella Dei decreto suscipi, magna sæpius illorum pœna, qui ea movent calide: in Dei manu esse mentes Regum, etiam potentissimorum: eumque illorum, qui prudentissimi habentur, consilia corrumpere, quando eorum fortunam mutare constituit. Quid Germani peccarant? quo vos dicto factove irritarant Galli? quam vobis causam dederant impia ac nefaria arma contra ipsos capiendi? Nullam prorsus. Fidem servarant, leges induciarum, quæ convenerant, non læserant, multa iniqua, quæ vos contra pactorum fidem quotidie moliebamini,tulerant, ad præcidendam omnium novarum turbarum ac tumultuum occasionem. Quod si hæc in culpam transeunt, si flagitium est fidem sanctissime colere, in fœderum pactione summa fide manere, si supplicium meretur, qui quiete pacateque agit, crescentemque aliorum potentiam æquo animo intuetur: & graviter peccavit Germania, & gravissima quæque meretur supplicia. Si enim prisca illa & omnium gentium scriptis celebrata Germanorum fides, si religiosissimum illud fœdera servandi studium, a remotissimorum seculorum memoria unquam apparuit:

certe illud, omnium judicio, isto tempore clarissime eluxit. Verum non illibata hæc fides, non reverentia summi Numinis, violati jurisjurandi vindicis, non denique injustissima bellandi causa, in animis hostium, nil nisi bellum spirantium, ac cædes anhelantium, sacram illam & indomitam aliena invadendi libidinem retundere poterat ac coërcere. Cum igitur injustissimo hoc bello omnem Germaniam provocarent Galli, omnes ad commune belli incendium restinguendum, properabant. Nunquam in Imperio Germanico tanta fuit voluntatum consensio, nunquam tanta animorum concordia, nunquam ad dignitatem, salutem, ac libertatem Imperii tuendam, ad labentem Remp. erigendam, tanta fuit omnium Ordinum omniumque hominum conspiratio. Hunc tantum animorum consensum cum Galli viderent, quem futurum esse, sibi persuadere non poterant, male causæ suæ ominabantur, ac propterea maximos Reges & potentissimos Imperii Principes in partes suas trahere promissis, minis, largitionibus, variisque artibus nitebantur. Nihil inprimis studii, nihil operæ, nihil contentionis sibi reliquum faciebant, ut *Fridericum* maximis, quæ promittebant, præmiis

expu-

expugnarent, ut aut ſuas, aut neutras partes ſequeretur, ſed medium ſe præberet. Verum celſus ille & magnus animus, qui ſemper de patria præclare ſenſit, ac qui nihil ſordidum, nihil humile unquam admiſit, nullis ſpecioſis lenociniis Gallicis, nullis pollicitationibus, ne Attalicis quidem quæ proponebantur conditionibus, potuit moveri, ut ſua commoda patriæ caritati præponeret, utque in Germanorum cæde ac ſanguine, in ſplendidiſſimarum & antiquiſſimarum urbium excidio, ac inter flebiles oppreſſorum gemitus deſideret, ac ſolus ſalvus eſſe vellet & incolumis. Res eſt digniſſima, Auditores, quæ memoria poſteritatis alatur, quæque nullius temporis longinquitate obliteretur. Galli per ſuos oratores ac amicos maxima quæque *Friderico* pollicebantur; ſed hic majore animo reſpuebat omnia. Illi amicitiam potentiſſimi Regis offerebant; hic in Germaniæ clade Germano Principi eam indecoram putabat. Illi provincias Electoris nihil detrimenti paſſuras confirmabant; hic, auribus ad omnes blanditias obduratis, ſuorum fortunam a patriæ fatis ſejunctam eſſe nolebat. Æquaſti, *Friderice*, æquaſti pulcherrimo hoc facinore Epaminondæ & Scipionis Africani, ſummo-

rum Imperatorum gloriam, quorum alter Regis Regum largitionibus, quibus oppugnabatur, renunciavit, præfatus, orbis terrarum divitias patriæ charitate ſibi viliores eſſe: alter vero Antiocho, quæ prolixe offerebantur, ſe non egere reſpondit. Aggrediebantur Galli rem alia via, &, cum ſe largitionibus ac promiſſis nihil efficere poſſe viderent, vi ac minis ſapientiſſimum *Principem* labefactare, ipſique terrorem injicere ſtudebant, minitantes, ſe agrum utrique Rheni ripæ adjacentem vaſtare, urbes delere, civeſque trucidare velle. Jamque non modo diras iſtas horrendaſque ſchedulas, quæ incolis exitium portendebant, plurimis vicis, urbiumque clariſſimarum portis affixerant, ſed & nonnullis locis jam funeſtos ac nefarios ignes intulerant. Alios viciſſet populorum in tanto diſcrimine verſantium miſeratio, alii animum demiſiſſent, ac gravitate periculi, tanquam fluctibus, ſe obrui paſſi eſſent: Verum *Elector*, licet incredibili deſiderio æſtuaret, miſeras gentes ex fœdiſſima flamma & vaſtitate eripiendi, non potuit tamen in animum inducere, ut quicquam in ſe admitteret, in quo aut hoſtes gloriarentur, aut quod amici reprehenderent, aut quod ſociorum animos ab ar-

mis

mis capeſſendis deterreret, aut quod ceteris patriæ communis civibus damnoſum eſſet ac noxium. Itaque non tantum vim hoſtium ac minas contemnebat, ſed & invicta quadam animi magnitudine ſe contra erigebat, aquilæ inſtar, quæ ſplendorem ſolis ſpernit, ejuſque radios, ad quos cetera connivent animalia, animoſe apertis oculis intuetur. Nequaquam tamen oblivifcebaris, *Friderice Maxime*, Tuorum civium: Sed ne ullum amoris, ſtudii, aut curæ pro illorum tutela, genus, deeſſe ſibi intelligerent, ipſe iniquiſſimo anni tempore ad eos, qui hoſtium furori quam maxime expoſiti erant, properabas, tantoque deſiderio angebaris illos metu liberandi, ut volaſſe, non iter feciſſe dicendus ſis, ne fortaſſis tardius aliquanto, quam Tui temporumque neceſſitas requirebat, advenires. Adveniſti opportune, ut ipſe fortunæ occurſares. Ubi adveniſti, omnium animos, qui metu vaſtationis, incendii, ferrique, late in vicinia graſſantis, perculſi ac proſtrati jacebant, erexiſti, ſpe læta omnes impleſti, dubios confirmaſti, quantum humana ratione fieri poterat, ſapientiſſime providiſti, ne quid detrimenti caperet publica privataque res, omnium commodis proſpexiſti, omnium ſa-

luti ſerviiſti, denique aut cum Tuis vivere, aut pro illis mori optaſti. Spes quidem aliqua poſita erat in urbe Veſalia, quæ autem, cum incerta admodum eſſet ac dubia, quod vetus opus dirutum, novum autem nondum conſummatum eſſet, operam dediſti, *Princeps Maxime*, ut urbs vallis, foſſis ac mœnibus, quantum per hiemis & temporis rationem fieri poterat, muniretur, quo illa & incolarum animos in patientiam obſidionis, ſi forte Galli eam adorirentur, firmaret, & hoſtium impetum ſuſtinere poſſet. His ita apud ſuos compoſitis, rapiebat *Fridericum* in Belgium ſuus in Belgas amor, ſuumque omnibus gratificandi deſiderium, ut, quos pariter amabat, eos pari cura in rebus dubiis confirmaret, utque cum Rep. hac, qua nihil carius, nihil dulcius ipſi unquam fuit, id conſtitueretur, quod e re utriuſque eſſe illo tempore credebatur. Non te vis hyemis, *Friderice*, non moleſtia itineris, non aſperitas temporis retardabat, non tuorum, quibus adventus Tuus tam ſalutaris, vota a deſiderio amiciſſimæ gentis adeundæ revocabant. Cum autem in Belgium veniſſes, quis populi concurſus! quæ omnium Tui videndi cupiditas! quod Tui compellandi deſiderium! Effundebatur

tur

tur ex florentissimis urbibus ingens hominum ac infinita multitudo, Tibique, quam longissime poterat, obviam procedebat, quo & citius & diutius facultas daretur videndi Principem, cujus virtutem, sapientiam, beneque de se merendi prolixam voluntatem dudum suspiciebant, quemque alii unicum & certissimum Reip. hujus amicum, alii defensorem, alii patrem salutabant. Qua lætitia, quo cultu, qua amoris testificatione Te excipiebant, qui sapientissimis suis consiliis nobilissimas has provincias regunt, quique summæ Imperii præsunt! Ipsa Princeps Arausionensium, summum sexus sui decus, orbis amor, virtutumque omnium, quæ Reginas decent, venustissima sedes, in solitudine sua inter spem & metum fluctuans, incredibili gaudio exultabat, cum tam gratum tamque acceptum hospitem, in cujus illa sinum omnes animi curas effundere poterat, coram intueretur: quam & Tu, *Princeps Optime*, cum nesciret, conjuxne esset an vidua, adoptimam spem de pulcherrimis Conjugis ausibus erexisti, & ab omni sollicitudine abstraxisti, cum ejus Tu in tot malis ferendis constantiam, mirificamque virtutem & laudares, & Tuis consiliis confirmares. Quanto Tu quoque a-

more, quanta benevolentia omnes admittebas! quanta mutuæ amicitiæ ſignificatione Illuſtres florentiſſimæ Reip. ordines complectebaris! qua animi propenſione, cum ob hyemis ſævitiam, inſolitumque frigus, in magna ſollicitudine verſarentur plerique, Tuam opem, curam, laborem in Belgii tranquillitate tuenda promittebas! qua ſolertia, qua ſagacitate, qua prudentia cum illis & de præſentium rerum ſtatu deliberabas, & de futuris conſilia formabas! Tranſegiſſet *Fridericus* reliquum hyemis in regionibus ſuis Belgio finitimis, quod & multi ab ipſo petebant, & ſuorum ſalus poſtulare videbatur, verum neceſſitas ipſi imponebatur repetendi Berolinum, ut ea, quæ Patriæ eſſent ſaluti, cum Principibus vicinis conſtitueret. Quorum plurimos ſua autoritate confirmavit, illiſque, ut afflictiſſimæ patriæ, tantis miſeriis periculiſque ſeptæ, ſuccurrerent, ſuo perſuaſit conſilio; quo ſane nihil Germaniæ utilius, nihil ſociis ſalutarius, nihil denique ad omnium temporum poſteritatiſque memoriam pulchrius ac glorioſius facere unquam potuit. Videbatur benigniſſimum Numen fortunare velle ſummam iſtam curam, quam *Princeps*, patriæ amore captus, dies noctesque pro illius

liberta-

libertate ac dignitate ſuſcipiebat. Dum e-
nim ipſe conſilio laborantis Germaniæ ſalu-
ti ſubvenit, ſui armis rem præclare gerunt.
Ipſi enim una cum Belgis, propter Nove-
ſium, oppidum vetuſtiſſimum, & in bellis,
ab antiquiſſimis Romanorum Imperatori-
bus olim in Germaniis geſtis, cognitum,
Gallos, qui id firmo tenebant præſidio, &
quorum Dux erat Surditius, incredibili vir-
tute aggrediuntur & ſingulari felicitate ſu-
perant. Concurſum eſt acerrime; noſtris
pro libertate patriæ, proque Imperii Ger-
manici & ſociorum ſecuritate pugnantibus,
hoſtibus vero Regis ſui fortunam defenden-
tibus, tantuſque fuit pugnantium ardor, ut
poſt diurnam graviſſimamque pugnam co-
minus gladiis dimicaretur. Tantum autem
valuit Brandenburgenſium ac fœderatorum
virtus, ut hoſtes, qui cum maxima ſpe vin-
cendi advenerant, fortiter disjicerent, dis-
jectos ſuperarent, ſuperatoſque turpi fuga
terga dare cogerent. Noſtri inſequuntur a-
criter fugientes, multos in fuga interficiunt,
majorque edita fuiſſet ſtrages, niſi nox ſu-
perveniens prœlium, vel potius fugam, di-
remiſſet. Noſtri victo hoſte, qui denuo for-
tunam experiri non audebat, victores &
ſpoliis hoſtium cæſorum onuſti Noveſium,

ubi Galli hybernarant, intrant, & quod ſuis copiis & apparatui bellico illi deſtinarant receptaculum, ipſi intercipiunt, & ſibi fœderatiſque conſtituunt. Jactate nunc hoſtes vos fortunam in manibus habere, victoriamque vos ubique comitari. Cognoviſtis magna mercede fortunam belli eſſe incertam atque ancipitem, voſque æque vinci poſſe ut ceteros mortales. Vidiſtis, eundem Principem, cujus vos modo civibus cædem, flammam, vaſtitatem, cruciatum, tormentaque denunciabatis, primum fuiſſe qui effræni veſtræ libidini modum poſuerit, quique ferrum, quod vos inter civium ſuorum latera impune vibrare volebatis, in viſcera veſtra adegit. Sentietis porro, eſſe Principes in Germania, eſſe viros in fœderatis, qui vobiſcum conſerere manus audeant. Sentietis fortaſſe, magnas arbores diu creſcere, ſed tandem, & ſæpe una hora extirpari. Sentietis aliquando fortaſſis, Deum, qui ſecundis rebus diu impune ſunt abuſi, eos tandem pro meritis ulciſci. Sed o inſignem bonorum omnium lætitiam! o egregium fructum quem feliciſſimus hujus prœlii exitus, ac fauſtiſſima hæc belli auſpicia omnibus attulerunt! Quid non ſperabimus de Tua virtute, *Friderice*,

derice, qui prima congreſſione Ludovicum vincis? aut quam felicitatem non Tua ſemper ſecuturam ſigna credemus, ſi primus de iis triumphas, qui invictos ſe putabant, quique, ſi non armis, artibus certe per multos annos ſuperiores fuerant? Quid autem mentis vobis erat validiſſimæ civitates Reinberca, Cæſaris inſula, Bonna, cum videretis Brandeburgenſes & fœderatos non ſuſtinere tantum ſed & fugare Gallos? Credo ego, vos, gaudii plenas, ſperaſſe, jam inſtare tempus, quod vos imperio, a quo inauſpicato & exemplo peſſimo avulſæ eratis, redderet. Credo, vobis nihil longius fuiſſe, quam ut adveniret *Princeps*, qui, velut Hercules quidam, & vos & Germaniam monſtrorum metu liberaret. Credo Vos jam prævidiſſe, eandem ſortem manere præſidia Gallica, quæ vos oppreſſerant, quæque vos patriæ ereptas, contra patriam invitas tenebant. Nec vana fuiſſe pia veſtra auguria, veſtraque quæ præceperatis gaudia, docuit feliciſſimus rerum eventus, docuit divinitus adjuncta *Friderico* fortuna, docuere magnificentiſſimi ipſius triumphi. Reinberca, uti in omnibus bellis in illa Germaniæ parte geſtis, varia fortuna agitata fuit, propterea quod foſſis muris variiſque muni-

mentis cingitur ac ipſo Rheno munitur, ita Galli, cum Colonienſem agrum invaderent, validum præſidium in urbe poſuerant, idque,ad firmandam ſpem dominationis ſuæ, & optaverat & permiſerat Furſtenbergius, Pontifex Argentoratenſis, & qui jam avida nimis ſpe pontificatum Colonienſem ſibi ipſe deſponderat, fax & tuba hujus belli, qui ſi nunquam vixiſſet, Germania felicior fuiſſet. Quæ urbs, quoniam non mediocre monumentum ad longius ſubmovendos hoſtes fœderatis afferre poterat, ex hoſtium manibus illam eripere unice ſtudebat *Fridericus*, cumque ſciret, ſapientis eſſe, omnia prius experiri verbis quam armis, bellaque non minus ratione quam vi eſſe gerenda, conſilio & conditionibus urbem capere maxime laborabat, quo factum, ut urbs munitiſſima, ſine ſanguine, ſine cæde, ſine dimicatione, divina *Principis* & fœderatorum ſapientia caperetur & imperio reſtitueretur. Dolebant hoſtes inclinari res ſuas in agro Colonienſi, fortunamque votis ſuis minus reſpondere. In magna tamen erant ſpe, fore, ut controverſiæ, quæ inter Regem Daniæ & Ducem Holſatiæ jam diu ducebantur, in bellum erumperent, quibus rebus effici ſibi perſuaſerant poſſe, ut dum

Germa-

Germaniæ Principes ad illud ſedandum concurrerent, illorum copiæ disjungerentur, ſibi vero facultas daretur impune omnia igne ac ſanguine miſcendi, totamque Germaniam ſubjugandi. Fœdum iſtud ac funeſtum conſilium quo melius cederet, graviſſimas iſtas lites, quaſi fomite admoto, omni ratione alebant, animos ad pacem tranquillitatemque pronos variis dolis turbabant, alios promiſſis ineſcare, alios metu deterrere ſtudebant. Verum nihil, nihil inquam egerunt. Nam id, in quo illi maximum ſibi præſidium ac commodum poſitum eſſe credebant, incredibilem illis poſtea plagam impoſuit, & unde illi deterrimum bellum, rerumque omnium perturbationem orituram ſperarant, ibi ſpes lætiſſimæ pacis jucundiſſimique otii affulſit. *Prudentiſſimus* enim *Octovir*, quo nemo vel ad providenda futura perſpicacior, atque ad avertenda mala, malorumque metum propulſandum animi conſiliique præſentia plenior, cum aliis tota mente in id incumbebat, ut controverſiæ iſtæ amicis conditionibus componerentur, idque ab illo tempore, quo primum Imperii gubernacula ceperat, per plurimos eoſque ſapientiſſimos Oratores multo ſumtu, multoque labore, unice egerat.

Tulit tandem pulcherrimum curarum ac laborum ſuorum fructum, Duce Holſatiæ, poſt multas variaſque diſceptationes, in avitas terras ac priſtinam dignitatem reſtituto, paceque in regnis ſeptentrionalibus, quæ jam in mutua bella ruitura videbantur, mirabili felicitate ſtabilita. Galli vero interea temporis, everſo tribunali Spirenſi, literis, tabulis, monumentis omnibus de Principum & privatorum litibus & fortunis per totam Germaniam, ablatis, nobiliſſimas quaſque urbes acerbiſſimis tributis exhauriebant, exhauſtaſque, contra fidem ore datam & ſcriptis firmatam, flamma ac ferro delebant, ſegetes ac vineas, ſpem ſolamenque futurorum temporum, urebant, opulentiſſimis regionibus vaſtitatem inducebant, ita, ut ſummi Principes omnibus vitæ dignitatiſque præſidiis & ornamentis nudati, vix pagum reliquum haberent, quo reliquias laceratæ ac proſtratæ fortunæ transferrent; Galli porro miſeros cives, omnibus bonis ſpoliatos, in exilium ejiciebant, alios jugulabant, alios barbarorum more in captivitatem abducebant, maritos ab uxoribus, uxores a maritis avellebant; ſtupris, cædibuſque omnia implebant, virgines, pueros, ætatemque imbellem

lem indigniſſime vexabant, denique Scythica quadam immanitate, & furore barbarorum barbaros antecedebant. Quæ cum ad *leniſſimum Principem* perferrentur, tantopere commovebatur, ut, relictis omnibus aliis rebus, omnem curam, cogitationem, mentem denique omnem figeret in perditiſſimarum ac miſerrimarum gentium malis levandis. Cum alii fœderatorum ad aliis ſubveniendum accurrerent, Ipſe ad diœceſin Colonienſem provolabat, quo eandem peſtem, quæ ipſi impendebat, arceret, hoſteſque ex locis ab ipſis inſeſſis deturbaret. Obſtrinxerat ſibi *Elector* ad bellum hoc & maximum & formidoliſſimum proficiſcens, ſolenni jurejurando Hallenſium fidem, idemque in aliis regionibus, qua tranſeundum erat, facere conſtituerat. Verum cum indies magis magiſque creſceret periculum, non ſinebat *Fridericum* quieſcere ſollicitudo de patriæ ſalute. Itaque iter ad Rhenum accelerabat, plus præſidii ponens in ſuorum civium fide, licet ſacramento non eſſent in nomen ejus adacti, quam in juris jurandi religione. Arctiſſime enim jam ſibi devinxerat populorum parentium, vel injuratorum animos, amore & benevolentia, cujus certiſſima pignora habebant,

bant, ſtudium, contentionem, pericula & diſcrimina, quæ pro illorum ſalute & tranquillitate ſubibat. In officio & obſequio continendi ſunt minis, pœnis, ſacramentis, qui metuunt magis Principes quam amant, & quos ad nova conſilia ſollicitat dominationis impotentia. Videbatur præterea ipſum fatum hanc inaugurationis ſolemnitatem differri voluiſſe, quo populi illi poſtea ſimul & victori importuniſſimi hoſtis, & ſervatori ſuo, liberi ſolitique, majore cum lætitia & magis ex animi ſententia jurarent. Ille itaque tanto animi ardore ad liberandam patriam ferebatur, ut dies noctesque maximis itineribus eo contenderet, quo omnium votis deſideriiſque ſe ſciebat expectari. Quis ſatis dignis laudibus evehere poſſit inſignem iſtum in patriam amorem, ſummam conſtantiam, excellentemque virtutem *Principis*, qui caput ſuum, ex quo tot gentium ſalus pendebat, quibusvis fortunæ telis objecit? qui vitam, cujus diuturnitatem omnium vota ipſi precabantur, pro libertate patriæ, pro ſociorum incolumitate, pro religionis ſecuritate, in ſummum diſcrimen adduxit? Magnum erat quod *Fridericus*, cum hæc tempeſtas erumperet, ſtatim lectiſſimas legiones in ſubſidium laboranti

ranti patriæ mitteret: majus quod tanto copiarum numero ipsi succurreret, quantum per leges Imperii ab ipso exigere non licebat: quod vero, veluti Romanorum Decius, caput pro Rep: devoverit, quod, cum domi in otio & rerum omnium abundantia vivere posset, molestias & pericula susceperit, nullam cum hostibus certandi occasionem detrectarit, temporum aërisque injurias, non sine virium valetudinisque detrimento, pertulerit, omnium certe maximum est, nihilque eo, vel ad summam laudem gloriosius, vel ad annalium memoriam celebratius fingi ac excogitari potest. Simul atque advenerat *Fridericus*, quo miserorum gemitus, bellique fortuna ipsum vocabant, eluxit in eo invictus ille ac in omnibus periculis præsentissimus animus, eximiaque rei militaris scientia, quam jam tum hauserat, cum magnum Parentem in bellis ab hoc in Pomerania gestis comitaretur, quæque post assidua meditatione tantopere fuit aucta, ut sagatarum artium peritia nulli concederet. Cæsaris insula primum fuit virtutis, bellicarumque rerum prudentiæ documentum, urbrs antiquissima & a Trajano, uti fertur, olim condita. Huic Galli præsidium imposuerant, tum, quod in-

genio & manu ſic erat munita, ut magnam ſpem ducendæ obſidionis, remorandique noſtrorum arma, hoſtibus afferret, tum quod in ripa Rheni poſita, Rheno qua vincula injiciebat. Ei eum admoviſſet, cui ipſe præerat, exercitum Elector, cui acceſſerant copiæ Belgicæ ac Monaſterienſes, illico urbem arctiſſima obſidione clauſit, eaque, quæ ad illam brevi capiendam neceſſaria videbantur, incredibili celeritate comparavit. Structi in formidinem hoſtium ſuorumque commodum ſuggeſtus ſummæ altitudidis, ex quorum faſtigiis munimenta urbis tormentorum ictibus vehementiſſime quatiebantur. Miſſi quoque ſunt in urbem globi, ſulphure, nitro, illiſque quæ alendo igni apta ſunt, referti, qui inflammarunt ſtatim arcem, plurimaſque ædes, & præfectum præſidio urbis ſubegerunt, ut illam poſtero die, quo igne oppugnari cœpta fuerat, *Friderico* traderet, ita ut prius caperetur, quam de oppugnatione paulo remotioribus quicquam conſtaret. Gratulabantur *Maximo Octoviro* de celerrima iſta ac clariſſima victoria ſummorum Regum Principumque Oratores, qui ipſi in caſtris præſto erant, mirabanturque omnes, qui fieri potuerit ut tantam urbem, tantis munimen-

nimentis instructam, tam firmo præsidio munitam tam brevi temporis spatio caperet, ut quasi simul & venisse & vicisse videretur. Sed videbant hostes nihil tam altum esse, quo Electoris sociorumque virtus non eniti posset, nihilque tam firmum, quod oppugnantium armis impervium esset. Itaque urbem, quam contra vim illorum ac felicitatem defendere se posse desperabant, victori permittebant. Posteaquam urbs in ipsius potestatem pervenerat, statim mililitum manum mittebat, quæ incendium restingueret, & a tectis ac fortunis incolarum vim flammæ defenderet, quantum alienus a Macedonum Rege Alexandro, qui ipse regiæ persarum faces subjiciebat & flagrantis spectaculo fruebatur! Insignis hæc mansuetudo cum mirifica quadam in Deum pietate conjuncta erat, cujus Elector illustrissimum ac pulcherrimum documentum dedit. Nam simulac urbem victor intravit, in vallo, quo illa cingitur, Deo immortali gratulatus est, Eique laudes ac grates dixit, sine cujus ope nihil humananas vires, nihil armorum robur valere judicabat. Destructis suggestibus, aggeribusque, disjectisque operibus, quæ oppugnandæ urbi posita fuerant, ac solo æquatis, quippe jam illa dedi-

ta, quaſi emerita ac munere perfuncta videbantur, Caſtellum Beulenſe, quod egregie munitum erat, expugnandum eſſe cenſebat *Maximus Princeps*: in quo ſubigendo etiam ſingulari quadam felicitate uſus eſt. Illi enim, quibus hoc negotium commiſſum erat, globis ignivomis id infeſtabant, ac brevi ſumma alacritate ſingularique virtute capiebant, hoſteſque ex nido iſto, quo ſe receperant, ejiciebant. Pars illorum capta, pars ſubmerſa, memorabilique juſtitiæ divinæ documento contigit, ut in navigium, in quod nonnulli ex hoſtibus, fuga ſalutem quæſituri, ſe præcipitaverant, globus igne repletus conjiceretur, atque ita hoſtes, qui victorum ferrum effugerant, in undis hauſti perirent. Supererat Bonna, tanto majorem *Friderico* gloriam paritura, quanto difficilior & periculoſior videbatur oppugnatio. Nam urbem, natura & ingenio loci firmiſſimam, Galli magni operis propugnalis tanta induſtria ac ſolertia munierant, ut nonniſi ſumma vi ac longiſſimo tempore ſubigi poſſet. Tenebatur præſidio validiſſimo decem millium lectiſſimorum militum, quibus imperatum erat, hanc urbem, a qua ſalus & gloria Gallorum pendebat, ſumma vi defendere, nec argento, nec ſanguini

præſi-

præſidiariorum parcere, ut obſidio quam longiſſime traheretur. Affluebat illa commeatu, frumento, firmataque erat omnis generis inſtrumento bellico ad diuturnæ & acerrimæ obſidionis patientiam. Exercitus quidem *Friderici* & mirabili flagrabat cupiditate pugnandi, & nulla pericula, nullumque hoſtem reformidabat, ſed & munimentorum & hoſtilis præſidii robur ſuadebat, nihil agendum nimis calide, ne copiæ noſtræ, quarum multitudo non tanta erat, quanta quidem requirebatur ad urbem ab omnibus rebus ad repugnandum & vim arcendam paratiſſimam impetu celeriter capiendam, magno Germanici Imperii fœderatorumque detrimento forte offenderent. Obſidebatur a Cæſareanis Moguntia, neque rerum Germaniæ facies permittebat, ut inde quicquam ſubſidii ſperari a noſtris poſſet. Præterea Buflerius cum lectiſſima Gallorum manu ad ripam Moſellæ conſediſſe nunciabatur, hoc conſilio, ut obſeſſis Bonnæ tempore ſubveniret. Tantis tamen periculis, tantis, qui exhauriendi erant, laboribus, non movebatur imperterritus *Friderici* animus. Nihil tam arduum, nihil tanti operis videbatur, quod ipſum ab obſidendæ urbis conſilio avocaret. Poſt-

quam igitur urbem caſtris, valloque ſepſerat, tribunaliaque tormentis collocandis erigi curaverat, illico illam miſſis pyrobolis petebat. Reſonabant tormentorum tonitru circumjacentes montes, omniaque collucebant flammis. Injecti enim globi ignis alimentis pleni ſubito plures urbis partes incendebant, inde latiſſime ſparſa flamma, tecta, domus, templa, turres corripiebant. Corruebant ſubito incendio omnia: comburebantur opes, quas ex ſpoliis urbium & direptionibus agrorum hoſtes eo congeſſerant: omnia planctu, ejulatu, terrore, tumultu miſcebantur: multi globorum imbre obruebantur: multi corruentium tectorum cineribus vivi ſepeliebantur: nulla ſpecies mali deerat. Tantum abeſt, *Princeps Optime*, ut ex hoc ſpectaculo voluptatem ceperis, quod Neronem in Romanæ urbis incendio feciſſe ferunt; ut potius lugeres, urbem tam vetuſtate originis & crebra fortunæ varietate, quam diuturna ſede Electorum inſignem, triſtiſſimo incendio concidere, hoſtemque ex patriæ medullis igne eſſe ſubmovendum. Sed ferendum erat, quoniam durum neceſſitatis telum & belli ratio acerbiſſima quæque remedia poſtulabat. Interim cum hoſtes æquiſſimas

pacis

pacis conditiones mira pertinacia rejicerent, *Elector ſapientiſſimus* conſilium cepit, illorum vires paulatim & quaſi lento morbo frangendi, atque expectandi tempus, quo, expugnata Moguntia, Cæſareanis ſubſidiis noſtræ copiæ augerentur, quoniam ſuas ſociorumque vires ſolas tanto diſcrimini ſubjicere, nec tempus ferebat, nec e re patriæ videbatur. Cujus ſemper tantam rationem habebat, ut illam inſigni moderationis documento ſuis commodis, ſuæque gloriæ nunquam non anteferret. Namque dum Bonnam obſidebat, vicinis regionibus, quibus Buflerius imminebat, delecta manu ſubveniebat, & robur floremque exercitus ſui Duci Lotharingiæ, Moguntiam maxima virtute oppugnanti, ſubſidio mittebat, quæ tamen ſuppetiæ ex itinere redibant, quoniam ad illas urbis deditæ fama perferebatur certis nunciis. Non longe poſt mittebantur ex Cæſarianis & Haſſiacis nonnullæ legiones, novis laureis ob ereptam Gallis Moguntiam ornatæ. Igitur *Fridericus* jam & viribus paratior & ſecurior non diutius cunctandum ratus, oppugationem urbis magna vi, magnoque impetu aggrediebatur, atque illico foſſis flexuoſis muros ſubire parabat, paucorumque dierum ſpatio res eo

perducebatur, ut ſuccinctus capiendi ſpes eſſet. Galli contra incredibilem globorum copiam in caſtra obſidentium ejaculabantur, ac crebris eruptionibus opera illorum infeſtabant, nihilque ſegniter exequebantur, quod in acerrima defenſione urbium fieri, aut ad officiendum obſidentibus excogitari poteſt. Verum hos, quoties eruptiones faciebant, *Maximi Octoviri* ac ſociorum piæ ſingulari virtute rejiciebant, ſibique & hoſtium cæde & improbo labore, quem in operibus perficiendis dies noctesque ponebant, viam ad victoriam aperiebant. Cum vero adeſſet tempus, quod invadendæ urbi dictum erat, excellentiſſimæ virtutis, ſummæque prudentiæ nova documenta *Fridericus* edidit. Et hortationibus & propoſitis præmiis militum animos ad pugnam fortiter capeſſendam accendebat, omnia, quæ neceſſaria videbantur, parabat, providebat, totius oppugnationis modum & ſuas cuique partes, locaque, quæ ſubeunda erant, deſcribebat, ita ut nihil prorſus deſideraretur, nihil ſinguli, quid ſibi agendum eſſet ejus imperio, ignorarent. Poſtea adſcitis Ducibus, quos huic negotio præficere decrerat: „Vos, inquit, „viri ſortiſſimi, ex omni exercitu elegi,

„qui-

„ quibus patriæ ſalutem, Germaniæ ſecu-
„ ritatem, nominiſque Brandeburgici glo-
„ riam tutanda traderem. Novi veſtrum
„ in patriam amorem, veſtrum erga me ani-
„ mum, veſtramque virtutem. Illuxit dies
„ ille, quem tam diu tanto deſiderio expe-
„ tiiſtis, quo virtutem veſtram orbi terra-
„ rum teſtatam faciendi, omnique poſteri-
„ tati commendandi, facultatem habetis.
„ Dextris veſtris recuperanda eſt civitas,
„ quam hoſtes artibus ceperunt, neque fe-
„ rendum, ut illi diutius ibi ſcelerum perfu-
„ gium habeant, ubi ab antiquiſſimis tem-
„ poribus ſedes Electorum Germaniæ fuit.
„ Res eſt nobis cum hoſte, qui injuſto pror-
„ ſus bello nos invaſit, qui vincula Germaniæ
„ parat, qui nihil divinarum humanarum-
„ que rerum ſanctum habet, quique omne
„ crudelitatis genus in parentes veſtros, in
„ fratres, in cognatos, in totam Germa-
„ niam edit & ſæviora minatur. Pugnatis
„ hodie pro majorum gloria in oculis totius
„ Europæ, quæ factorum veſtrorum teſtis
„ & arbitra, de iis nunquam conticeſcet. Pu-
„ gnatis pro patriæ ſalute, qua nullum acrius
„ telum ad vincendum ex celſis animis un-
„ quam fuit. Huic animam bonus quiſque
„ debet, ac pro illa mortem oppetere, ipſa vi-

M „ ta

„ ta dulcius eſt ac pulchrius. Bello laceſſiti
„ tanto fortius dimicabitis, quanto juſtior
„ cauſa ac certior victoriæ ſpes eſt ejus, qui
„ vim arcet. Vidiſtis, Deum ipſum cau-
„ ſam noſtram agere, quoniam a nobis jus
„ ſtat. Is porro pro vobis pugnabit, & per
„ medios hoſtes aditum patefaciet. Bellum
„ hoc hoſtium potius, quam noſtris cladi-
„ bus inſigne fuit. Illi nunquam niſi malis
„ artibus vicerunt, vos autem armis ſemper
„ ſuperiores fuiſtis. Ipſi ſocii veſtri, quos
„ capta Moguntia, laureis redimitos cerni-
„ tis, ſpem faciunt hujus oppugnationis
„ eundem exitum futurum. Quem hoſtem
„ vos modo ferociter vobis inſultantem vi-
„ diſtis; eundem nunc armis veſtris undi-
„ quaque clauſum, virtutemque veſtram ex-
„ timeſcentem, trepidare videtis. Multi ex
„ illis cæſi, multi morbis ac fame confecti.
„ Has reliquias facile ſuperabitis. Veſtram
„ virtutem Deus, ſuperbiæ, injuriarum ac
„ ſcelerum vindex proſperabit: illos tanto-
„ rum facinorum & malorum, quibus inſon-
„ tes affecerunt, conſcientia confundet.
„ Noſtis ipſi, quanta miles pugnandi cupidi-
„ tate ardeat, ne partarum nuper victoriarum
„ laus obfuſcetur. Videtis, qua ſint alacri-
„ tate ſocii recenti victoria Moguntina de-

„ cori.

„ cori. Omnia quæ ad oppugnandam ur-
„ bem necessaria fuerunt, a me sunt com-
„ parata. Nihil vobis deest, nisi vos vobis
„ ipsi deesse velitis. Non jam in limine,
„ sed in exitu hujus militiæ versamini. Hu-
„ jus diei felicitas præmium periculorum ve-
„ strorum, & terminum laborum dabit. Op-
„ pugnatis mœnia unius urbis, sed una urbe
„ capta, liberabitis totum hanc regionem
„ omnesque vicinas Imperii provincias, e-
„ andem habituras fortunam, qualem hæc
„ obsidio habuerit exitum. Nunquam enim
„ illæ otio fruentur, quousque hostes in hac
„ spei salutisque suæ arce dilitescent. Nihil
„ patriæ salutarius, nihil ad sedandum hoc
„ bellum utilius præstare poteritis, quam si
„ hostem ex hoc latibulo submovebitis. Si,
„ quod Deus avertat, vincimur, ludibrio
„ erimus hostibus superbissimis, nominique
„ Germano æternam ignominiam inuremus.
„ Neutrum fiet, si viri eritis, eritis autem, si
„ a toties spectata virtute non desciscetis. Si
„ vivi, victoresque redieritis, vestram virtu-
„ tem novis honorum & fortunæ insignibus
„ ornabo: sin qui ex vobis occubuerint, illo-
„ rum laus & gloria æternum vivet, illo-
„ rumque conjugum & liberorum ego pater
„ ero. Ite viri fortes, asserite Germaniæ

„ ſalutem, ac vindicate pignora veſtra ab
„ injuſtiſſima & impotentiſſima dominatio-
„ ne, quæ omnium cervicibus impendet.
„ Ite quo majorum gloria, quo patriæ ſocio-
„ rumque ſalus, quo miſerorum lacrymæ
„ vos vocant. Propagate ad poſteros veſtros
„ decus quod a majoribus accepiſtis, cujuſ-
„ que ipſi ſemper tam egregii vindices fuiſtis.
„ Deo duce & auſpice veſtram fortitudinem
„ fortunante, brevi hæc urbs noſtra erit. E-
volant a Principis conſpectu ad optatum triumphi decus, & memores, pro quo, & contra quos pugnarent, magnis animis opus hoſtile adoriuntur. Ex illis, qui in primo agmine erant, multi interfecti, multi vulnerati, quia hoſtes in via cooperta ad ſuſtinendum illorum impetum parati, incredibili glandium multitudine illos excipiebant. Sequentium ora reſpergebantur eorum ſanguine, qui concidebant. Verum non commilitonum miſeratio, non periculi magnitudo, non morientium fractæ voces, non denique cruor ex pulcherrimis cæſorum vulneribus effluens viros a ſperatæ victoriæ gloria revocabat, ſed inſtabant, urgebant, nitebantur, quo ſe attollere humanus animus ac fortiſſimi cujuſque virtus poteſt. In hoc tanto motu rerum, inter tu-

barum

barum clangores ac tympanorum ſtrepitus, ſtimulos illos ac incitamenta virtutis, milites iter ad victoriam ſibi vi & armis patefaciebant, ac exteriorem foſſæ muralis loricam brevi incredibili virtute expugnabant. Fecerant, quæ imperata erant, ſed ardor pugnæ animique impetus ipſos ulterius in medios hoſtes agebat, quibus mixti, gladiis, pugnis, aliiſque, quæ furor ſubminiſtrabat, armis, rem gerebant, reliquoſque hoſtes, quos ſua felicitas ex cæde ac flumine ſanguinis eripuerat, turpi fuga in urbem properare compellebant. Inde invicta animi alacritate ac inuſitata ultra humanum modum fortitudine duo propugnacula portæ obtenta capiebant, atque in illuſtriſſimis iſtis gloriæ theatris conſtituti, hoſtibus terrorem injiciebant, ſuis vero lætiſſimum ſpectaculum præbebant. Jam alii ſcalas, quibus muros aſcenderent, petebant, alii portas effringere ſtudebant, verum *ſapientiſſimus Princeps*, qui non tantum animoſe ac fortiter, ſed etiam conſiderate ac ſapienter bellum gerebat, eorum impetum velut generoſorum equorum cohibebat, quod & humanitatis ducebat tot egregias animas ſervare, & prudentiæ, hoſtes non ad deſperationem redigere. Ingruebat etiam nox,

quæ quaſi accelerare videbatur, ut tam cruentam pugnam dirimeret, animoſque meliore fato dignos a mutua cæde revocaret. Nulla ætas tam erit immemor, nec unquam *Friderice*, fama tam ingrata, quæ non ſummis in cœlum te laudibus evehet, quas cum virtute ac ſapientia, quæ, quicquid domi foriſque geris, effulget; tum vero paterno & incredibili quodam amore in tuos cives ac milites, maxime meritus es, cum eorum, qui pro patriæ incolumitate honeſtiſſime occubuerant, fata, tantopere doleres; cum militum, non ſecus ac liberorum tuorum, quæ in acerrimo poſt hominum memoriam conflictu acceperant vulnera, foveri, & omni ſalutarium remediorum genere diligentiſſime curari præciperes: cum cœteros, qui, re præclare geſta, tantis ex periculis, tanquam ex inferis, emerſerant, ad exemplum priſcorum heroum, magnis præmiis & congiariis honeſtaſti, qui, qua es ſapientia, non ignorabas virtutem ali & inflammari honore. Non poſſum mihi imperare, ut hic tacitus prætercam eximiam & omnibus ſeculis commemorandam virtutem & conſtantiam militis, quem Cæſar, Batavi, Haſſus ac Monaſterienſis Antiſtes ſubſidio miſerant, qua irruerunt

in

in hoſtes, qua ſubierunt valla & muros contra tantam vim & robur illa ſummavi tuentum. Nemo ceſſabat, nemo cunctabatur. Omnes in hanc curam cogitationemque incumbebant, ut ducum imperia factis quaſi anteverterent, & ad ea ſtrenue conficienda, quæ imperata erant, nec ſudori nec ſanguini parcerent. Videbant tunc Galli ſibi rem eſſe cum viris, qui & acriter pugnare, & fortiter vincere ſcirent. Ingens enim Ducum, Præfectorum & militum gregariorum copia ex illis deſiderabatur, ipſeque Asfeldius, qui urbi præerat, gravi vulnere confectus erat. Itaque poſtero die hic mittebat, qui conditiones dedendæ urbis moverent, quas *Elector*, quoniam pro illorum afflictæ fortunæ ratione ferebant iniquiores Galli, primum rejiciebat, tandem vero tolerabiliores convenerunt. Præſidiariorum tria millia admodum ſupererant, quos Luxemburgum comitante ſuorum manu duci præcipiebat, miſeræ ſuæ ſortis & hoſtium virtutis ac victoriæ nuncios. Suadebant non nulli, *Friderice*, ut urbem vi caperes, atque ab hoſtibus pœnas injuriarum, quas per multos annos toti pene terrarum orbi intulerant, ſumeres, ac ſane, ſi militum tuorum pugnæ ac vindictæ cupidi-

tate ardentium voces audire voluiſſes, hoſtium internecione expianda fuiſſent tanta mala, quæ Germaniæ circaque dederant, patiebaturque fortuna tua, ut illud facere poſſes, ſed ut velles, a natura tua ad lenitatem ac clementiam facta, non poteras impetrare. Hoſtes enim tunc ſe permittere volebant Tibi, cum jam non eſſent ſui, offerebantque deditionem urbis quam non licebat diutius tueri. Tu autem memorabili quadam ac inaudita clementia illos excepiſti, exceptoſque audiviſti, deteſtatus triumphos ubi crudelitas, devictorum gemitus, captivorumque vincula lætitiæ victoris gratulantiumque vocibus obſtrepunt. Itaque ne plus ſanguinis humani funderetur, conſilia illa damnaſti, & hoſtium crudelitatem lenitudine, faſtum modeſtia, furorem virtute, injurias animi magnitudine vindicaſti. Maluiſti injuriarum quam tuæ lenitatis eſſe immemor, cumque hoſtes viciſſes, dolorem vincere neceſſarium pulchrumque duxiſti. Expleviſti, *Friderice*, vota Invictiſſimi Imperatoris, qui tutelam provinciarum iſtarum Tibi tradiderat. Urbes munitiſſimas, alias igne, alias conſilio, alias armis cepiſti. Coloniam & reliqua diœceſeos Colonienſis oppida a flammis, agros a

popula-

populationibus, incolas a ſervitute, a cæde, a ſanguine vindicaſti. Gratias Tibi agunt urbes, agunt agri, agit ipſe Rhenus, qui undas nunc ſuas libere placideque volvit, quique navigiorum, quæ undique in illo natant, patiens, ante tuum ſalutarem adventum ab hoſtibus tanquam tempeſtate brumali clauſus & obſeſſus erat, ac nulla niſi hoſtilia ferebat. Felices nimium agri Colonienſis incolas, ſi ſua bona noſſent! Conjicite oculos in terras, quas hoſtium furor occupavit, & quo in loco res veſtræ ſint, perpendite. Adſpicite Palatinatum, intuemini diœceſin Trevirenſem, aliaſque quam plurimas regiones, quæ vos veſtræ felicitatis admonent. Videtis ibi urbes antiquitate & opibus nobiliſſimas luctuoſiſſimo incendio deleri, licentiam hoſtis in vexando omnes incolas miſere debacchari, ſepulchra Imperatorum ſpoliari, ipſoſque cives, ne qua crudelitates ſpecies ſuperſit, ad faces tectis ſuis inferendas cogi. Cernitis ibi arcem Heidelbergenſem, decus Germaniæ, cui in tantis bellis, inprimis illo tricennali hoſtis pepercerat, in ruderibus & cineribus jacere. Cernitis Spiram, Wormatiam, Manhemium, aliaſque urbes, quarum memoriam & ipſa multitudo & dolor pectus meum effodiens,

O mihi

mihi ſubducit, velut Trojam quondam aut Carthaginem dirutas ac everſas. Veſtra vero mœnia, veſtra tecta beneficio *Friderici* ſervata. Templa veſtra perſonant laudibus Dei, in foris jus dicitur. Ejecti ibi cives & incolæ ex urbibus ſedibuſque avitis extorres vagantur, ut ne quidem ſint, qui exciſarum urbium nomen deplorare queant. Ne nunc quidem in illis parietinis conceditur miſeris contra cœli ferarumque injurias latebras quærere. Vobis *Friderici* virtute fortunæ, bonaque veſtra ſalva ſunt, vos agros veſtros, veſtras vineas in ſpem futuri temporis colitis. Ibi incolæ, ſed quid dico incolæ? imo miſerrimi iſti exules, omniumque mortalium infeliciſſimi, priſtina fortuna exuti, a conjugibus, parentibus ac liberis divulſi, in ſolitudine ſylviſque, quas hoſtium ſævitia reliquit, errant, ac a conſuetudine hominum remoti, inter feras, hoſtibus ipſis mitiores, miſerrimam animam trahunt, ubi inopia fameque confecti, mortem tanquam unicum levamen, miſeriarumque omnium finem & optant & expectant. Vos cum conjugibus, cum liberis, cum propinquis veſtris, tanquam e naufragio, evaſiſtis, idque *Electoris Brandeburgici* munere, qui vobis hæc otia fecit, dum militum

litum ſuorum præſidio hoſtium gladios, tot innocentium ſanguine ſtillantes, a jugulis veſtris arcet. Tibi vero ſubjectæ gentes, *Friderice*, agnoſcunt gratiſſima mente beneficia tua, propterea, cum Cliviam victor redires, ſummo ac incredibili gaudio exultabant. Tanta erat populi effuſio, tanta omnium acclamatio, tantum denique omnium tui videndi deſiderium, quantum vix animo concipere poſſunt, qui oculis non uſurparunt. Te, ut hoſtium victorem, Germanicæ libertatis aſſertorem, agrique Clivenſis ſervatorem ſummis in cœlum laudibus efferebant, Teque eo majore lætitiæ ſignificatione excipiebant, quod, quantum Tibi deberent, probe intelligerent, quoniam ex ipſis mœnibus ſuis flammam hoſtilem proſpexerant. Cujus ſummi ac incomparabilis beneficii imago, cum ipſis ſemper ante oculos verſaretur, non inveniebant, qua ratione gratum Tibi animum ſatis certis argumentis approbarent. Erecti erant arcus triumphales, qui, licet non cruſtis Numidicis aut Pario marmore, ſed floribus, quos terra mater fundit, nitebant, tamen aſpectus eorum tibi erat multo jucundiſſimus. Adſpiciebas enim illos tanquam monumentum veriſſimi amoris, quo Tui Te

cives proſequuntur, non ſecus ac Dii, quibus gratius eſt lac & far pio animo oblatum, quam Falernum & thuris acervi, quos adolent beatiores ſed minus religioſi cultores Deorum. In Titum Veſpaſianum, cum, domitis Judæis, captiſque Solymis, Romam reverteretur, populus Romanus flores ſparſit. Idem Tibi contingebat *Princeps Optime* generiſque humani delicium, cum Cliviam intrares, eumdemque in Te amorem præ ſe ferebant vel ipſi pueri puellæque, quorum ætas adulandi artes ignorabat, quique, etſi quæ grates Tibi agendæ eſſent, neſcirent, tamen habendas ſciebant, quaſi jam in iſta annorum ſimplicitate cognoviſſent, ſe evaſiſſe graviſſimam iſtam calamitatem, quæ maxime ad ipſos olim redundatura fuiſſet. Tanta vero erat tua in iſto felicitatis gradu, gloriæque cumulo, animi moderatio, ut nullum præmium virtutis, nullum inſigne honoris deſiderares, præter amorem civium tuorum. Dum autem ipſe omnia honorem ornamenta ſpernebas, forte fortuna, de quo nemo cogitaverat, quodque admiratione omnis ætatis digniſſimum eſt, Tibi albus equus offerebatur, quo Cliviam introibas, ut ita eorum, qui Romæ triumphantes, albis equis trahebantur,

glo-

riam exæquares, ipſaque ſorte ac caſu Tibi tribuente honorem, qui ob maximam victoriam Tibi debebatur, quemque ſingularis tua modeſtia longiſſime rejeciſſet. Quanto autem majore lætitia Te exceperant Tui; tanto majore alacritate fidem, quam nunquam violaverant, jurejurando Tibi obſtringebant, atque, uti ſummam ex adventu Tuo ceperant voluptatem, ita cum inde diſcederes, non minori cruciabantur dolore, optabantque omnes omnino uno ore, ut quam diutiſſime Tui eis copia daretur. Verum quoniam cura iſta, quam *Fridericus* pro patriæ ſalute geſſit, non unius regionis finibus circumſcribebatur, ſed latiſſime diffuſa omnes ſuo imperio commiſſas terras, omneſque Europæ partes complectebatur: ille Berolinum properandum putabat, quo tum ſuorum vota, tum temporum neceſſitas, ipſaque Imperii Romani incolumitas ipſum vocare videbantur. Quid dicam de inſigni iſta lætitia, qua Ravensbergenſes ac Mindenſes populi Electorem excipiebant, cum per illorum fines & urbes caput ſibi parentium terrarum repeteret? Quid de ſumma iſta alacritate & fide qua omnes in verba & nomen ipſius jurabant? Quid de lætiſſimis iſtis acclamationibus quibus de tanto

triumpho, gloriosissimo victori hostium reduci gratulabantur, quem paucis ante mensibus abeuntem faustis ominibus ac piis votis prosecuti erant? Quo vero omnia tuta post se relinqueret, regionesque, quæ hostium incursionibus maxime patebant, contra illorum irruptiones & compilationes munirentur: *Elector prudentissimus* copias quasdam in finibus Coloniensis & vicini agri collocavit. Fuere tamen, qui, sive quod sibi in se satis præsidii esse putarent, sive quod magnitudinem imminentis periculi non caperent, hyberna gravabantur. Itaque *Fridericus* legiones istas in suas terras proficisci jubebat, quippe qui nemini oneri, omnibus autem saluti esse, semper optaverat. Verum isti brevi magno cum detrimento didicerunt, male se sibi consuluisse, quod copias istas non admisissent. Galli enim, subita irruptione facta, multos agros diripuerant, pagosque complures usserant. Tum vero regiones illæ, quæ præsidia paulo ante repudiaverant, pœnitentia ductæ, summo studio illa a *Friderico* petebant, qui, quoniam omnium facile obliviscebatur, quando patriæ utilitati consulendum erat, statim validissimo ac firmissimo præsidio agrum Juliacensem, Montanum

num & Colonienſem ac Aquiſgranum contra vim hoſtium communivit. Tum levatæ fuerunt trepidatione gentes, quæ ſingulis horis excidium expectabant, ipſaque hæc vetuſtiſſima & celeberrima Caroli Magni, aliorumque Imperatorum regia ſedes Electoris beneficio ſervata gaudet & triumphat: Tibi, inquit, *Princeps Maxime*, Tibi gratias ago immortales, quod mihi ſubveneris, cum graviſſimis periculis ac ærumnis circumvallata eſſem. Tu a civibus meis direptiones ac cædes defendiſti. Tu a templis, a tectis, a mœnibus meis ferrum hoſtium repuliſti. Tuum eſt beneficium, quod flamma hoſtilis me non deleverit. Tu nobiliſſima iſta Imperatorum inſignia, quæ nuper admodum Joſephum, Romanorum Regem, ornarunt, ex hoſtium manibus eripuiſti. Tu thermas meas, quæ tot miſeros ex graviſſimis morbis recrearunt, ſervaſti. Tu Tuo conſilio laboreque effeciſti, ut dulci otio fruar. Cum igitur patriam ſervaſſet, ſuorumque ſaluti proſpexiſſet *Elector ſapientiſſimus*, aliis omnibus, ſibi ipſe non ſatisfecit. Non enim contentus horridam tempeſtatem propulſaſſe, in futurum conſulebat. Cernebat atram nubem impendere communi patriæ, ſævis

procellis ac turbinibus omnia fœdaturam, nisi consilio dissiparetur: non posse autem illam dissipari, nisi spes improba illorum, qui Romanum Imperium affectabant, præcideretur: præcidi vero illam spem non posse, nisi Rex Romanorum crearetur. Hinc omnium curarum antiquissima illi erat, ut, in quod fastigium beatissimus Parens Leopoldum olim suo suffragio extulerat, in illud ipse proveheret Principem juventutis, Leopoldi Magni filium, Josephum, Hungariæ Regem, quem benignæ naturæ quasi manu fictum esse sciebat ad hanc personam, ubi adolevisset, sustinendam. Tantæ in illo dotes, tanta virtutum omnium, quæ ad tanti imperii clavum moderandum desiderantur, indoles elucebat, ut ætatem longe anteverterent. Fortes fortibus creantur. Nullus dubitat, quin aliquando magni Patris vestigiis intentus Germanorum imperium ex omnium sententia sit recturus. Leopoldus sane Augustus divina quadam ac prorsus admirabili sapientia, virtute, ac felicitate, Germaniæ præsidet imperio, qui, quæ majores ipsius ne sperare ausi sunt, gessit, cujus denique virtutum, victoriarum, rerumque gestarum gloria terrarum orbem pervagata est. Haç

cura

cura defunctus es, *Friderice*, ſecunda bonorum omnium, Germaniæ civium, ſociorumque voluntate. Quibus laudibus vero Tuam ſapientiam prædicabimus, *Optime Principum*, qui Boruſſiam, regionem pulcherrimam & beatiſſimam, tantiſque locorum intervallis a nobis ſejunctam, inter tot bellorum procellas tranquillam pacatamque ſervaſti, & ab illa omnia pericula ac inſidias depuliſti? non ſecus ac gubernator, qui navem ex hyeme, procellarum rabie, marique ſcopuloſo ſervavit. Quantæ Tibi debentur grates, quod, cum tanta amoris documenta in Occidentem edideris, cura Tua quoque Orientem complexus fueris? quod Boruſſiam, in qua primam lucem hauſiſti, alieniſſimo anni tempore adieris? quodque ea, in quibus ejus ſalus vertitur, ſaluberrime ac prudentiſſime conſtitueris? Triumpharunt equidem Boruſſiæ populi, ubi de Tuo adventu ad illos fama pervenit, idque rebus teſtati ſunt, cum Te tanta lætitia, tanto applauſu, tantis acclamationibus omnis ordinis, ſexus, & ætatis exceperunt, ut fidem omnem ſuperent & dubium ſit, utrum majus fuerit deſiderium, quo Tuum adventum expectarunt, quam gaudium, quo, cum adveniſſes, exultabant.

bant. Magna ſunt *Friderice*, quæ a Te geſta ſunt, & licet tantum biennium Imperii clavum tenueris, tanta tamen geſſiſti, quæ pauciſſimi Principum vix longiſſimo vitæ ſpatio patrarunt. Nullius ſane tanta ingenii vis eſt, tantumque dicendi flumen ac copia, quæ res Tuas geſtas, Tuasque virtutes cogitatione, nedum verbis asſequi digne poſſit. In Te unum congeſta ſunt omnia, quæ ſingula in ſingulis admiramur. Tibi parta eſt tuis maximis in humanum genus meritis autoritas, quam ſuſcipiunt cives, quam omnis Germania veneratur, quam ſocii in cœlum tollunt, quam hoſtes reformidant, quam exteri mirantur, quam denique tota Europa colit. Servet Te Deus, Pater Patriæ; ſervet *Auguſtam*, orbis delicium, populorum Tuorum matrem, Principem ſuperis, quam hominibus ſimiliorem: ſervet divina Tua pignora, quæ noſtræ ſalutis & beatitudinis pignora ſunt, faxitque, ut aviti tot populorum imperii poſſeſſionem ſero transferas in poſteritatem, non niſi cum fine rerum interituram: Largiatur Deus Tibi, *Princeps Optime*, ætatem, quam virtus Tua meretur, de noſtris Tibi largiatur annos: Reſpondeant omnia votis tuis: Sufficiant vi-

res,

res, quibus ſuſtinere poſſis graviſſimam iſtam curarum molem, quæ Tibi incumbit: Fortunet conſilia honeſtiſſima & ſanctiſſima: Proſperet arma, quæ pacis cauſa & pro ſalute patriæ ſuſcipis, ut quocunque incedis, Te gloria, fortuna ac triumphi comitentur: Vive diu mortalium amor, & cum melior ſis Trajano, felicior ſis Auguſto: Floreat Brandenburgica domus ætatibus ſeculorum innumerabilibus.

DIXI.

